

ter expressis habentes, illis aliis in suo robore permansuris; ad premissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis etiam mandati.

§.5. Volumus autem, quod presentium transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quae adhiberetur presentibus, si forent exhibitae, vel ostensa.

Datum die 10. Maii 1644. An. XXI.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Anno Piscatoris, die 10. Maii 1644. Pontificatus nostri Anno Vigesimo primo.

DCCLXXXV.

Ex Reg. in Secret. Breu.

Indultum Nobilibus Anconitanis exercendi artes Lanariam, & Sericeam, ac Mercaturam certarum Mercium, sine praedictio Nobilitatis.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Praenotium.

Constantis fidei, ac sinceræ devotionis affectu, quo dilecti filii Communitas, & homines Civitatis nostrae Anconitanæ Nos, & Romanam reverentur Ecclesiam, inducimur, ut ea illis libenter concedamus, quae ad eorum utilitatem, & commodum dignoscimus pertinere.

Communitatis Anconitanæ ex postulo.

§.1. Cum itaque sicuti idem Communitas, & homines Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi Sericeam, & Lanariam Artes necnon Cerarum, Coriorumque, ac Lanarum, & Vallonearum vulgo nuncupatarum mercaturam, ac Banchariorum, seu Campforum Artem opera personarum nobilium ejusdem Civitatis, absque eo quod propterea earumdem personarum nobilitati praedictetur exerceri posse, & idcirco per Nos ut infra opportune providere summopere desiderent.

Concessio, de qua in Rubric.

§.2. Nos eorumdem Communitatis, & hominum votis in praemissis annuere illosque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis suspensionis, & interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes supplicationibus, illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinari universis, & singulis dictae Civitatis Civibus nobilibus, ut Sericeam, & Lanariam, ac Banchariorum, & Campforum Artes hujusmodi, necnon Grani, Cerarum, Coriorumque, ac Lanarum, & Vallonearum mercaturam, solida tamen merce, & ut vulgo dicitur all'ingrosso tantum, non autem minutim, seu particulatim, itaut particulares tabernaculas dictarum mercium, in quibus illae minutim vendantur, habere, & aperire

nequeant, absque eo quod propterea aliquod eorum nobilitati praedictum inferatur, aut censei possit, exercere libere, & licite valeant apostolica auctoritate tenore presentium concedimus, & indulgemus.

Clausula.

§.3. Decernentes omnes, & singulos nobiles ejusdem Civitatis Cives, qui Artes, & mercaturam hujusmodi, ut praefertur, exercebunt in eodem nobilitatis gradu esse, & fore, ac remanere, etiam quoad omnia ad quae nobiles ipsius Civitatis quomodolibet admitti, & recipi consueverunt, seu possunt, aut debent, non secus, ac si Artes, & mercaturam hujusmodi numquam exercuissent, sicque, & non aliter, ab omnibus censei, & per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, ac definiti debere, ac irritum, & inane quid quid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrarium.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis dictae Civitatis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, legibus etiam municipalibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis eidem Civitati, sub quibuscumque tenore, & formis, ac eum quibusvis clausulis, & decretis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, presentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 7. Junii 1644. An. XXI.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Anno Piscatoris, die 7. Junii 1644. Pontificatus nostri Anno Vigesimo primo.

DCCLXXXVI.

Confirmatio Brevium Sixti V., Pauli V., & Gregorii XV. super prohibitionem quibusvis personis sub poena excommunicationis late sententiae Sedi Apostolicae reservatae, ne detineant quavis Bona ad loca Terrae Sanctae spectantia, sed illa si poenis se sint, locis hujusmodi, seu eorum agentibus restituant.

Ex Reg. in Secret. Breu.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

§.1. Alias a se. 10. Sixto V., & Pauli etiam V. Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris emanarunt litera tenoris subsequenti videlicet.

Littera Apost. ab aliis Pontificibus aliis emanata.

Sixtus PP. V. Ad futuram rei memoriam. Nostri pastoralis officii partes a Nobis possulant, & exposcunt, ut in iis auctoritatem Nobis ab omnipotenti Deo, cujus vi-

Littera Sixti V.

ccm

cem hic in inferiori terrarum orbe gerimus, concessam, quandocumque ita necessarium est, interponamus, per quae legata in favorem piorum locorum tam in Civitate Jerosolymitana, quam extra eam in tota Terra Sancta existentium facta juxta piam ipsa legata facientium, & Constituentium intentionem debitos sortiantur effectus, & ab illorum occupatoribus, & detentoribus piis locis hujusmodi, ut decet, relaxentur; Cum itaque nullatenus dubitari possit, quin per totum Christianum Orbem nulla mobilia, & immobilia bona Religiosorum domibus, & aliis locis piis in Terra Sancta existentibus tam per viam legati pii, quam elemosynae, & alias diversimode relicta fuerunt, ipsa vero bona, vel eorum aliqua a diversis personis, quarum cura, & fidei executio legatorum, & elemosynarum hujusmodi commissae existit, occupentur, & detineantur, in non modicum ipsorum animarum periculum, & detrimentum donorum, & honorum hujusmodi, quae tamquam in partibus infidelium existentia magnis praemuntur necessitatibus: Nos qui salutem singulorum, sinceris desideramus affectibus, piorumque locorum quorumbet indemnitati quoad possumus consulimus, ut tenemur, in praemissis opportune providere volentes, ac omnium, & singulorum bonorum, & aliarum rerum dictis locis per quoscumque quovis modo relictorum, & poenas quoscumque existentium, situationes, qualitates, & valores presentibus pro expressis habentes. Motu proprio, & ex certa scientia, meraque deliberatione nostris, omnibus, & singulis Venerabilibus Fratribus Patriarchis Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum Ordinariis, per universum orbem Christianum constitutis, eorumque Vicariis, officialibus nunc, & pro tempore existentibus in virtute sanctae obedienciae committimus, & mandamus, ac districte praecipimus, quatenus ipsi, & eorum quilibet per se, aut eorum Vicarios, & officiales in spiritualibus generales, aut alias personas ab eis deputandas quotiescumque pro parte nunc, & pro tempore existentis Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Minorum de Observantia, domorum, & locorum hujusmodi ad elemosynas, & legata similia recuperanda deputati, requisiti fuerint, vel eorum aliquis requisitus fuerit in omnibus, & singulis suarum Civitatum, & Provincialium Cathedralibus Collegiatis, & Parochialibus Ecclesiis, tribus Dominicis, seu aliis festis diebus, dum inibi major populi multitudo ad divina convenerit, omnes, & singulas personas, pecunias, aurum, argentum, gemmas, ac alias res, & bona quaecumque mobilia, vel immobilia supra summam, seu quantitatem, sive valorem, ex arbitrio, & conscientia taxandum domibus, & locis piis praedictis, tam per viam legati, quam elemosynae, & alias quomodolibet relicta, & ad illa alias spectantia, & pertinentia occupantes, & detinentes, seu ab aliis occupa-

ri, & detineri scientes, & non revelantes requirant, & moneant, seu requiri, & moneri faciant, quatenus omnia, & singula bona mobilia, vel immobilia eisdem domibus, & locis piis legata, & ad illa quomodolibet spectantia, ac per easdem personas, & earum quamlibet occupata, & detenta d. Procuratori nunc, & pro tempore existenti, seu ejus locum tenenti cum effectu restituant, & consignent, ac illorum occupatores, & detentores revelent, & detegant, alioquin factis tribus canonicis monitionibus hujusmodi, in omnes, & singulos bona hujusmodi occupantes, & usurpantes, seu ab aliis detineri, & usurpari scientes, & non revelantes, excommunicationis sententiam, a qua non nisi praevia satisfactioe absolutionis beneficium obtinere possint, eo ipso ferant, & pronuncient, seu ferri, & pronunciari faciant. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, ac quacumque forsitan praetensa longi temporis praescriptione, & continuata possessione, ceterisque contrariis quibuscumque. Et quia difficile foret praesentes literas ad singula quaeque mundi loca perferri, volumus, quod earumdem presentium, transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici, vel Ordinarii loci, aut alterius personae in dignitate ecclesiastica constitutae subscriptis, eadem prorsus fides ubique locorum, & gentium adhibeatur quae adhiberetur, si ipsae praesentes literae originaliter exhiberentur.

Littera Paul. V.

Datum Romae apud S. Petrum sub Anno Piscatoris die 13. Decem. 1589. Pontificatus nostri Anno V.

Paulus Papa V. Ad perpetuam rei memoriam. Coelestis Regis, qui pro humani generis redemptione se ipsum exinanivit, factus obediens usque ad Mortem, vices licet immeriti gerentes in Terris inter graves officii nostri curas, hanc praeceteris in visceribus gerimus, ut tanti, & tam salubris mysterii monumenta, quae in Civitate Jerusalem sunt, conserventur; & ea, quae decet honorificentia recolantur, ac Christianissimum elemosynae in hanc causam pie erogata, in alios usus non distrahantur. Quocirca dilectis filiis Generali, & Provincialibus Ministris, Commissariis, tam de Curia, quam aliis quibuscumque, necnon Custodibus, seu Guardianis, aliisque officialibus, & praesertim dictae Civitatis, necnon fratribus quibuslibet, nunc, & pro tempore existentibus Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, aliisque omnibus, & singulis ubique locorum degentibus ad quos spectat, & in futurum quomodolibet spectabit, sub privationis vocis activae, & passivae, necnon officiorum quae obtinent, aut obtinebunt, ac inhabilitatis ad illa, & alia impostero consequenda, poenis ipso facto incurrendis tenore presentium perpetuo praecipimus, & mandamus, ne perpetuis futuris temporibus elemosynas, seu aliquam earum partem, sive in pecunia, sive in quibusvis aliis

aliis rebus cujuscumque generis consistant, quae tam pro conservatione, restauratione, ac subsidio piorum locorum dicte Civitatis, divini cultus in illis augmento, quam etiam pro Fratrum dicte Ordinis inibi degentium, ac Peregrinorum, in eorundem Domibus hospitantium sustentatione, ac necessitatibus, vel aliis per quoscumque Christifideles erogabuntur, quavis de causa, ratione, aut occasione, vel sub quocumque pretextu, quæsto colore, vel ingenio, in aliis usus etiam quantumvis pios, & urgentes, ac etiam ejusdem Ordinis, convertere, vel quibusvis aliis personis cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis existentibus, etiam per breve temporis spatium, commodare, alienare, hypothecare, vel aliis quomodolibet distrahere audeant quoquo modo, vel præsumant, sed eas pro dictis piis locis, & eorundem Ministrorum usu fideliter conservent, & eorundem locorum agentibus nunc, & pro tempore existentibus, suis loco, & tempore integre consignent, & tradant, seu consignari curent, & faciant, contrariis non obstantibus quibuscumque. Volumus autem quod præsentium transumptis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsi præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostense.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die 22. Januarii 1618. Pont. nostri Anno X.

§.2. Et subinde pro parte tunc existentis Terræ Sanctæ Commissarii rec. me. Gregorio Papa XV. etiam Prædecessori nostro exposito, quod in diversis Christiani orbis partibus nonnulla personæ varia bona ad loca Sancta spectantia non sine gravi animarum suarum periculo, ac eorundem locorum maximo detrimento indebite detinerent, idem Gregorius Prædecessor literas præinsertas, & in eis contenta quæcumque perpetuo approbavit, & confirmavit, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjecit.

§.3. Et nihilominus utriusque sexus personis cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis existentibus, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis majoris lætæ sententiæ poena a qua non nisi ab eo, vel Romano Pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo constituti, absolvi possent, districte præcepit, & mandavit, ne de cætero cujuscumque generis bona ad loca hujusmodi spectantia quovis pretextu, causa, vel occasione apud se retinere audeant, seu præsumerent, sed illa iisdem locis, seu illorum agentibus realiter, & cum effectu restituerent, & aliis prout in ejusdem Gregorii Prædecessoris hujusmodi literis desuper sub Annulo Piscatoris die 18. Octobris 1622. expeditis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus uberius continetur.

Quis literas confirmavit Gregorius XV.

Cavete ne quis bona ad Terram Sanctam spectantia apud se retineret.

§.4. Cum autem, sicut pro parte Venerabilis Fratris Ægidii Patriarchæ Hierosolymitani, ac dilecti filii Andree de Arco Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Reformatorem nuncupatorum professoris ejusdem Terræ Sanctæ Commissarii, Nobis nuper expositum fuit, ea firmiora sint, quibus iteratæ confirmationis apostolicæ robur adiciamus, & propterea dicti Ægidius Patriarcha, & Andreas Commissarius prædictas Prædecessorum nostrorum hujusmodi literas, per Nos confirmari, & aliis in præmissis opportune provideri desiderant.

§.5. Nos eorundem Sanctorum locorum indemnitati quantum cum Domino possumus consulere volentes, supplicationibus Ægidii Patriarchæ, & Andree Commissarii prædictorum Nobis desuper super hoc humiliter porrectis inclinati, prædictas Sixti V. ac Pauli etiam V. & Gregorii XV. literas cum omnibus contentis in illis apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo confirmamus, & approbamus, ac illis perpetuè inviolabilis apostolicæ firmitatis vim, & robur adiciamus.

§.6. Et nihilominus omnibus, & singulis utriusque sexus personis cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis existentibus in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis majoris lætæ sententiæ poena, a qua non nisi a Nobis ipsis, vel Romano Pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo constituti, absolvi possint districte præcipimus, & mandamus, ne de cætero cujuscumque generis bona, ad loca hujusmodi spectantia quovis pretextu, causa, vel occasione apud se retinere audeant, seu præsumant, sed illa eisdem locis, seu illorum agentibus realiter, & cum effectu restituant.

§.7. Quocirca Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis ubivis locorum existentibus, ac dilecto filio causarum curiæ Camera Apostolicæ generali Auditori per præsentem committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentem literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte dicti Ægidii Patriarchæ, aut prædicti Andree moderni, & pro tempore existentis Terræ Sanctæ hujusmodi Commissarii fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra præmissa omnia, & singula ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit inviolabiliter observari: Contradictores quoslibet, & Rebelles per censuras, & poenas ecclesiasticas, aliæque opportuna juris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis.

§.8. Non obstantibus se. re. Bonifacii Papa VIII. Prædecessoris nostri de nna, & in concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate

Hujusmodi literarum nova confirmatio potest.

Pontifex confirmat.

Ex mandato pro ut in Rubr.

Executores deputati.

Contrariis derogat.

tate

tate præsentium ad iudicium non trahatur, nec non ab omnibus illis, quæ dicti Prædecessores in præinsertis eorum literis voluerunt non ob stare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§.9. Volumus autem, ut præsentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici, vel Ordinarii loci, aut alterius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ subscriptis, eadem prorsus fides ubique locorum, & gentium adhibeatur, quæ adhiberetur, si ipsæ præsentem literæ originaliter exhiberentur.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris die 18. Junii 1644. Pontificatus nostri Anno XXI.

DCCLXXXVII.

Ex Reges. in secret. Brui.

Declarat, munus Protectoris Collegii Fratrum Minorum Conventualium S. Francisci in Conventu Sanctorum XII. Apostolorum de Urbe, & Collegii Montis Alti in Civitate Bononiæ, a Sixto V. electorum spectare ad Cardinalem Pallottum uti antiquiorem Cardinalem ex Provincia Marchiæ, non autem ad Cardinalem Montaltum ejusdem Pontificis Con sanguineum.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

§.1. Alias se. re. Sixtus PP. V. Prædecessor noster in Domo Regulari Sanctorum Duodecim Apostolorum de Urbe Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Conventualium nuncupat. unum eorumdem Fratrum Minorum, nec non alium Montis Alti nuncupatum Collegia scholarium Nationis Picenæ in Civitate nostra Bononiæ, erexit, Collegiorumque hujusmodi Protectorem S. R. E. Cardinalem ex Parentela, & familia Peretta ipsius Sixti Prædecessoris, vel in eius defectum, ex Provincia Marchiæ Anconitanæ oriundum antiquiorem Cardinalem deputavit.

§.2. Cum autem defuncto bonæ memoriæ Centino, ejusdem S. R. E. dum viveret Cardinale de Asculo nuncupato, tamquam Cardinale seniori Piceno Collegiorum prædictorum ultimo Protectore, neque existente ullo Cardinale ex familia seu parentela ejusdem Sixti Prædecessoris, Dilectus filius noster Joannes Baptista tituli Sancti Silvestri Presbyter Cardinalis Pallottus nuncupatus uti Cardinalis antiquior oriundus ex dicta Provincia, munus Protectoris dictorum Collegiorum suscepit, illoque in pacifica possessione exercendi munus Protectoris hujusmodi, Collegiaque prædicta tamquam Protector gubernandi existente, Nos dilectum, etiam filium nostrum Franciscum tituli Sancti Hieronymi Illyricorum Presbyterum Card. Montaltum nuncupat. ex familia, & parentela ipsius Sixti Prædecessoris prædicti oriundum ad sublimem Cardinalatus dignitatem pro-

Sixtus PP. V. duodecim Collegia in domo S. R. E. Minor. Sancti Francisci Conventualium erexit.

Et Cardinalem ex familia Peretta Protectorem deputavit.

Existente vero ad presens Protectore Cardinali Palotto.

moverimus, eaque propter dubitatum fuerit utrum munus Protectoris Collegiorum hujusmodi ad prædictum Joannem Baptistam Cardinalem ante dictam Cardinalem Francisci promotionem ad munus Protectoris hujusmodi admissum illudque pacifice exercentem, an vero ad eundem, Franciscum Cardinalem uti oriundum ex familia seu parentela prædicta spectaret.

§.3. Nos jus suum unicuique tribui negotiumque hujusmodi, prout juris esset, definiiri volentes, particularem nonnullorum Rom. Curie Prælatorum Congregationem, ad partes, earumque jura super præmissis audiendum, Nobisque referendum deputavimus, qui Prælati auditis Procuratoribus, & Advocatis eorundem Joannis Baptiste, & Francisci Cardinalium, negotioque mature discussio, cum votis suis desuper exhibitis Nobis rerulerint munus Protectoris Collegiorum prædictorum spectasse, & spectare ad prædictum Joannem Baptistam Cardinalem.

§.4. Idcirco Nos, ut id quod Prælati prædicti hac in re censuerunt juris esse, ut præfertur, suum sortiatur effectum, & debita executioni demandetur, pro cura nostra Pastoralis providere volentes motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, munus Protectoris dictorum spectasse, & spectare ad dictum Joannem Baptistam Cardinalem apostolicæ auctoritate tenore præsentium declaramus. Nec non eundem Joannem Baptistam Cardinalem munus prædictum, uti dictorum Collegiorum Protectorem plenarie exercere libere, & licite potuisse, & in futurum posse, & valere.

§.5. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos sublata eis, & eorum cuiuslibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, ac definiiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, motu, & auctoritate similibus decernimus.

§.6. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis cæterisque contrariis quibuscumque. Quibus omnibus, & singulis etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias, in suo robore permanfuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris die 1. Julii 1644. Pontificatus nostri Anno XXI.

Cleri-

Dubitatur: utrum munus Protectoris hujusmodi ad dictam Cardinalem Protektoris hujusmodi admissum illudque pacifice exercentem, an vero ad eundem, Franciscum Cardinalem uti oriundum ex familia seu parentela prædicta spectaret.

Congregatio particularis ad hoc desuta ad Card. Pallottum spectare censet.

Quis idem præsentium declarat.

Et ita ab omnibus judicari iussit.

Obstantibus derogat.

Datum die 1. Julii 1644. An. XXI.

Ex Reg. in Secret. brev.

Clerici conjugati Insulae Melevitanae quoad functiones Militares Magistro Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani subiciuntur cum prohibitione ne eis concedantur exemptiones.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Clericos conjugatos Insulae Melevitanae quoad functiones militares M. Magistro Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani subicit.

§.1. NE Insulae Melevitanae firmissimi adversus immanissimos Turcas Italiae propugnaculi adeo necessaria tuitio ullo modo negligatur Clericisque conjugati ejusdem Insulae, privilegii clericalis praetextu solitas functiones Militares pro defensione, & custodia Insulae hujusmodi obire detractent quantum cum Domino possumus providere volentes, supplicationibus dilecti filii Magni Magistri Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani Nobis desuper humiliter porrectis inclinati, eidem Magistro, nunc, & pro tempore, existenti, uti persona ecclesiastica omnes, & singulos Clericos conjugatos dictae Insulae ut equum tenere si sufficientes ad id facultates habeant, & solitas functiones militares, custodiaeque facere pro defensione, & custodia ejusdem Insulae adversus Turcas, & piratas, debeant quoad ista, sicut ad tenendum equum, & faciendum dictas functiones, custodiaeque respective possint opportunitis juris, & facti remediis cogi a praedicto Magistro, vel persona ecclesiastica per eum deputanda.

Quoad reliqua vero omnia Meleviran. Episcopo.

§.2. In ceteris vero iidem Clerici conjugati Venerabili Fratri Episcopo Melevirano, nunc, & pro tempore existenti remaneant subiecti, juxta sacrorum Canonum, Constitutionum Apostolicarum, sacrorumque Conciliorum praesertim Tridentini decretorum dispositionem, apostolica auctoritate, tenore praesentium subiciamus.

Clausulas apponit.

§.3. Decernentes praesentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac inviolabiliter observari, sicque, & non aliter in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definituri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Contrariis derogat.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, dictisque Hospitalis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, ac ordinationibus capitularibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium

praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Exemptiones praemissis concedi prohibet.

§.5. Volumus autem, & in virtute sanctae obedientiae injungimus praedicto Magistro Magistro nunc, & pro tempore existenti, ut invigilare teneatur, ne Priores, Bajulivi, Praeceptores, seu Commendatarii, Capitanei, alique Officiales, & Ministri dicti Hospitalis quomodolibet qualificati, quoquo modo, vel ex quacumque causa concedant aliis ad praemissa obligatis, exemptiones, francos nuncupata praedictis oneribus, ac functionibus Militaribus, & Custodiis ultra consuetum, praesertim ultra illas, seu illos quae, & qui solent etiam jussum statutorum, seu stabilimentorum, ac ordinationum capitularium ejusdem Hospitalis apostolica auctoritate confirmatorum, concedi, illis qui actu inserviunt communi aerario, infrimata, ac in quibuscumque aliis functionibus, & servitiis Hospitalis praedicti: Prioribus vero, Bajulivis, Praeceptoribus, seu Commendatariis, Capitaneis, ceterisque praedictis, & aliis quibuscumque, sub amissionis antianitatis, ac majoris excommunicationis penis ipso facto incurrendis, nequoquo modo, vel ex quacumque causa audeant praefatas exemptiones, seu francos concedere prohibemus.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Anulo Piscatoris die 28. Julii 1644. Pontificatus nostri Anno XXI.

Datum die 28 Julii 1644. An. XXI.

DCCXXXIX.

Facultas quibusvis Rectoribus, ac Defensoribus, & Superioribus quarumcumque Ecclesiarum consignandi Capitaneis & aliis Officialibus Triremium Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, Remiges voluntarie obligatos Bonas voluntates nuncupatos, qui ut servitium remigandi declinent, ad Ecclesias confugiunt.

Ex Reg. in Secret. brev.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Jacobus Glandenes de Lueges Frater Miles Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, ejusque apud Nos, & Apostolicam Sedem Orator, quod inter Remiges Triremium dicti Hospitalis, qui voluntarie, cum certo stipendio remorum servitio se addixerunt, & Bonae voluntatis, vulgo vocantur abusus, ab aliquo citra tempore introductus est, ut quando dictae Triremes sunt in procinctu ad iter faciendum, nonnulli ex praedictis Remigibus ne ad remigandum in illo

Motiva concedenda facultatis.

illo

illo itinere, quod sibi tunc minus placeat cogantur, ad Ecclesias confugiunt, e quibus sese extrahi non posse, sed immunitate Ecclesiastica gaudere debere pretendunt, prout evenit anno 1641. quo vigintifex ex Remigibus hujusmodi ad Ecclesias confugerunt, necnon etiam anno proxime praeterito, quo dictae Triremes, ut Nobis, & Apostolicae Sedi inservirent ad Portum nostrum Civitatis Vetulae venerunt. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat navigationes dictarum Triremium, interdum turbatae, itineraque destinata prorsus impediri possint, cum bonae voluntates hujusmodi Remigum, robur praecipuum constituunt maxime in expeditionibus contra Infideles, in quibus, cum opus est, ipsi etiam armis decertant, neque periculi est, ut servi Turcae aliquid in favorem Infidelium machinentur, eoque casu recursus ad Episcopos pro licentia extrahendi confugientes ad Ecclesias haberi non possit, qui, & dubitant, an licentiam hujusmodi concedere valeant, saepeque distant ab Ecclesiis, ad quas Remiges praed. confugerunt, itant interim elabatur occasio navigationis magno cum dicti Hospitalis detrimento; neque iidem Remiges extra triremes vinceri possint, quippe, qui sese Remigis servitii nequaquam addicerent, nisi vinculis exempti libertate fruerentur quando triremes praedictae sunt in Portu, Nobis propterea dictus Jacobus Orator nomine dicti Hospitalis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Paschas, de qua in Rubr.

§.2. Nos igitur indemnitati ejusdem Hospitalis, hac in re, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, quibusvis Rectoribus, ac Defensoribus, & Superioribus quarumcumque Ecclesiarum, sive secularium, sive regularium, in quas Remiges

praedicti, ut servitium remigandi in dictis Triremibus, ad quod se sponte obligarunt, subterfugiant sese pro tempore receperint licentiam consignandi illos Capitaneis, & aliis Officialibus Triremium, quarum servitio erunt adstricti, ita tamen, ut ipsi Remiges ratione dicti confugii ad Ecclesias a Capitaneis, & Officialibus hujusmodi, vel quocumque alio quavis auctoritate fungente sub censuris, & penis, etiam in Constitutione fel. recor. Gregorii Papae XIV. Praedecessoris nostri de immunitate Ecclesiarum, quae incipit. Cum aliis sub dat. nono Kalendas Junii 1591. Pontificatus sui anno primo contentis eo ipso abique alia declaratione incurrendis, nullatenus puniri valeant, apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus, & imper-

Derogatio contrarium.

§.3. Non obstantibus quoad ea, quae praesentibus adversantur praedicta ejusdem Gregorii Praedecessoris, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam in Conciliis universalibus editis, necnon quarumvis Ecclesiarum, ac dicti Hospitalis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum, tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Anulo Piscatoris die 28. Julii 1644. Pontificatus nostri Anno Vigesimo primo.

Datum die 28 Julii 1644. An. XXI.

Finis Pontificatus Urbani VIII.